16

PRÆSIDE DIVINO NUMINE!

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De

LACTATIONE,

Auctoritate atq; Consensu

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

in

Incluta NORICORUM UNIVERSITATE ALTDORFFINA,

Pro

LICENTIA

Summos in MEDICINA Honores, Immunitates, atq; Privilegia DOCTORALIA, more Majorum legitimè capessendi,

Ad diem 27. Junii,

A. O. R. MDCLXXXV.

Pro virili defendet

CHRISTOPHORUS DANIEL MEZGER,

Posoniensis Hungarus.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYER,

Universit. Typographi.

VENERANDO PARENTI,

DOMINO

MARTINO CHRISTO
PHORO MEZGER,

Medicinæ Doctori, & Practico Ratis-
bonensi Seniori.

THESES HAS INAUGURALES,

pro tot Paternis beneficiis,

in gratæ mentis signum
sacras esse vult

Filius obsequentissimus

CHRISTOPHORUS DANIEL MEZGER,
Med. Ddus.

FELICITER!

PROOEMIVM.

P*Rovida rerum Parens natura, ut recens natorum saluti consuleret, bina Lactis promtuaria, non tàm ornamenti, quàm necessitatis gratiâ in medio Matrum pectore collocavit, unde infantes, si gemelli etiam edantur, proprio destituti auxilio, matrum ulnis excepti, alimenti sui fontem haberent*: Minimum enim fuisset beneficium Patris Matrisq; concubitus, *inquit Seneca*, nisi accessissent alia, quæ prosecuta essent hoc muneris initium, & aliis officiis ratum fecissent. **LACTATIONEM** *ergò, ceu actionem, pro conservandâ hominum in dias has luminis auras editorum vitâ, summè utilem & necessariam, in* DISSERTATIONE hâc INAUGURALI, *ex* GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ ALTDORFINÆ *indultu, proponere, & præternaturales causas ipsam corrumpentes rimari, simulq; curationem aliquatenus indicare placuit: Quod quidem opus prolixiorem postulasset operam, sed cùm nec temporis angustissimi ratio, nec aliæ concesserint causæ, ut brevitatis limites excederem,* Lector Benevolus *æquam gratiæ mihi largietur veniam, si rem omnem paucarum pagellarum cancellis inclusam exhibuerim, plura alio daturus tempore.*



SECTIO I.

De Lactatione secundùm naturam.

TH. I.

UT eò felicius Lactationem, morbosq; lactantium fœminarum circà illam obvenientes declarare, & per causas suas examinare liceat, juvabit Lactis anteà denominare materiam, quam dico chylum admixto sero dilutum.

II. Scilicet is ipse sanguini commistus per arterias mammarias ab Aortæ ramo subclavio dimissas, ad mammarum orbes defertur, ibidemq; à carne illarum glandulosâ, spongiosâ, σομφοδεςέρῃ & bibulâ (cui non alia est similis in corpore) secernitur, ac in peculiaribus tubulis Lacteis, ad necessariam usq; emissionem asservatur. Quin etiam, (si Philosophorum morem sequi licet; qui cùm rem ipsam, uti se habeat, clarè percipere nequeunt, fingunt saltem modum ejus aliquem naturæ operibus consonum, & veritati proximum) Vascula Lactifera nonnulla ad fœminarum mammas nutriendi fœtus gratiâ quoq; deferri, licet ὄψει καὶ ἔργῳ nondum sit sancitum, est tamen rationi admodùm consentaneum, & argumentis à posteriori sive effectibus deductis, valde probabile, ceu eruditissimè demonstrat seculi hujus ornamentum *Gualterus Charleton Oecon. Animal. Exercit. III.* Nec dubitabit quispiam, fore, ut in tàm clarâ Luce versantes Anatomicos dies propediem ad evidentem veritatem penitus deductura sit, sicq; tandem certis vestigiis semel demonstratis, latentem feram indagare liceat.

III. Intereà massæ huic chylosæ aliquid de succo nervoso associari, non penitus negaverim.

IV. Nec etiam veritati repugnabit, si concesserim in glandulis dictis mammariis fermentum quoddam subacidiusculum, sed sale volatili valdè temperatum inesse, pro facilitandâ γαλακτοποιήσει, quod haud adeò incongruè mammarum fermentum ideale, seu virtus earum digestiva vocari posset.

V. Por-

V. Porrò Tubulos mammarum omnes ſibi invicem inſeri, & licet infinita ſit ſurculorum propago, omnes tamen conſpirare in papillarum extrema notandum eſt.

VI. Valvulas inſuper circa papillarum cum mammis commiſſuram exiſtere, & ſingulis ductibus Lactiferis per papillas pergentibus applicatas eſſe, ad exitum Lactis ſpontaneum & involuntarium impediendum, ipſa docet αὐτοψία, hæcq; fluxus obſtacula in Lactatione à ſugentis Labiis linguâq; preſſione quâdam removentur, aut ita diſponuntur, ut exitus Lacti tunc pateat, anteà impeditus.

VII. Nunc ergò Lactationem deſcribo, Lactis in mulierum mammis producti allectionem atque exceptionem ex papillarum tubulis, ab infante ope ſuctus & preſſionis factam.

VIII. Et hæc quidem ut juſtè, & ſecundum Leges naturæ notas ac convenientes celebrata dici queat; requiritur I. debita ac æqua Lactis generatio. II. decens ejusdem motus & effluxus.

IX. Contrà ubi alterutrum eorum vel utrumq; vitiosè ſe habuerit, vel quocunq; modo læſum fuerit, Lactatio pariter læſa fit, cui diſtinctè & ſpecialiter explicandæ, ita jubente ſcopo propoſito, jam propiùs accedendum erit. Sit ergò

SECTIO II.

De Lactis Generatione Læſâ.

TH. *I.*

OBſervatur nempe generatio Lactis quadruplici modo lædi: I. Cum nulla fit. II. Cum nimis pauca. III. Cum nimia. IV. Cum depravata quoad qualitates ſuas, videlicet conſiſtentiam, colorem, odorem, ſaporem, craſin, puritatem.

II. Et I. quidem nulla fit Lactis generatio, nunc ipſarum glandularum, nunc fermenti Lactifici, nunc ſanguinis culpâ. Nam peculiaria vaſa Lactea ad mammas abeuntia, utpote demonſtratione nondum manifeſta, in curatione prætereo, ex iis tantùm principiis, quæ pro certioribus hactenus habita fuerunt, ipſaq; ocularis inſpectio credere jubet, cauſas & methodum medendi deducturus.

 III. Glan-

III. Glandularum culpâ, quando vel naturâ deficiunt, vel etiam ab ortu ſolidiores nimium ſunt, vel demùm aut ab internâ aut externâ quâdam causâ duriores aut ſcirrhoſæ evadunt.

IV. Quando naturâ deficiunt, vitium incurabile eſt, nec minus quando ab ortu ſtatim ſolidiores ſunt, Lactis generationem etiam impediunt, notum quippe, glandulas, quæ nullum vel paucum admodum Lac producunt, ſolidiores durioresq; exiſtere, nec mirum, quandoquidem hoc modo humorum in ipſis & per ipſas liberior motus (qui tamen organorum horum raritatem vel poroſitatem deſiderat) intercipitur. Quod ſi ergò læſam talem conformationem ſive ſtructuram curare intendimus, mammas ſæpius blandè fricare oportebit, & adhibere emollientia tàm ſimplicia quàm compoſita, uti ſunt, Herb. altheæ, lil. alb. malv. violar. fl. chamæm. lil. alb. malv. ſambuc. ſem. alth. fœnugr. lini, malvæ, tritici, cepæ coctæ, cortex ſambuci, omnia gummata, medulla crurum vituli, pingued. anat. anſeris, capon. humana, ſuilla, vitulina, vitellus ovorum, mucilagines variæ, ol. amygd. dulc. & amar. hyperic. irinum, lil. alb. lini, lumbric. terreſtr. de vitell. ovor. violar. unguentum dialtheæ, martiatum, populeon, cataplaſma ex micâ panis albi, cum vitell. ovor. & pauxillo croci in Lacte coctum, Empl. diachylon. ſimpl. & comp. galbanetum, de meliloto, oxycroceum, ceratum de ammoniaco &c. Quibus ſalina alia volatilia item aromatica commodè admiſceri poterunt, quò facilius ac felicius penetrent, & reſpectivè diſſolvant & attenuent.

V. Quod ſi verò glandulæ prædictæ à causâ internâ duriores ſint & evadant, erit hæc potiſſimùm humor acidus, auſterus, vitriolaceus, terreſtris, vel in iis generatus, vel aliundè affluens, & à cauſis antecedentibus & procatarcticis ſubminiſtratus, qualis cum difficulter moveatur, præmittenda erunt ipſum præparantia, in genere ſalſa & ſalina lixivioſa, in ſpecie tartarus vitriolatus, arcanum tartari, ſeu terra foliata tartari, TRa tartari, arcanum tartari Noricum, tartarus tartariſatus, nitrum regeneratum, ſal digeſtivum Sylvii, item crocus martis cum ſalibus, aperitivus &c. poſteà ſuggerantur evacuantia, vel emetica vel purgantia notiſſima; Studebit tamen prudens medicus,

dicus, ut materiam hanc vitiosam ducat, quò maximè vergere videbitur, per loca conferentia, juxtà monitum artis nostræ Principis, Divini *Hippocratis Sect. 1. aph. 21.* atque ultimò tandem subjungere conveniet alterantia & corrigentia, quæ inter apprimè prodesse sale volatili abundantia & aromatica, spirituosaq; internè & externè in usum vocata, experientia docuit, & rectè, siquidem hæc ratione salis sui volatilis humorem acidum austerum, glandulosam substantiam incrassantem & constringentem corrigunt, ac paulatim volatilem magis, spirituosum ac dulcem efficiunt, sicq; fermentum Lacti suo generando iterùm aptum reddunt.

VI. Inter interna verò remedia apprimè conducent aquæ spirituosæ ex aromaticis plantis & spiritu vini aut vino concinnatæ, simplices & compositæ, & quidem juxta placitum Sylvii destillatione potius quàm solâ infusione paratæ, hoc enim modo à crassioribus, quæ per infusionem simul remanent particulis depuratæ, gratiores, tùm penetrantiores atq; efficaciores, fiunt. Præscribantur ergò aquæ cheiri, cinamomi, Lil. convall. meliss. lavend. veronic. zedoar. salv. quibus etiam aliæ aquæ itidem aromaticæ, non verò spirituosæ jungi poterunt, quales sunt aqua angelicæ, anisi, namphæ, calam. aromat. carvi, caryophillat. chærefol. chamæp. cheiri, cinam. commun. citri excortic. cochlear. coriandri, cumini, fœnic. lavend. lil. convall. majoranæ, meliss. menthæ crispæ, puleg. rorismar. rutæ, sambuci, flor. serpilli, zedoar. & similes, absq; vino confectæ, pro diluendis spirituosis, ut commodius assumi possint, additis præterea syrupis convenientibus, ut & salibus volatilibus, oleis aromaticis, & quandoq; ipso opio vel Laudano opiato, præsertim si vehemens humorum acrimonia urgeat, e. g. syrup. infus. flor. caryophill. chamæpyt. de cinam. de cortic. citri, de hyssopo, de menthâ, violarum, sal C. C. volatil. cranii humani volat. succini volat. urinæ volat. tartari volat. ol. macis, cinamom. anisi, fœnic. caryophill. &c.

VII. Jam autem sicut internè prædictas aquas spirituosas & aromaticas commendavimus, ita externè quoque easdem laudamus cum sale volatili quovis nuptas, atq; linteo mundo, sæpius humectando, mammis applicatas: Nec spem curantis elu-

eludent unguenta & olea aromatica, præsertim si admixtis salibus volatilibus, aut sale armoniaco ad feliciorem penetrationem disposita fuerint; item gummata sub emplastri vel cerati, vel linimenti formâ imposita, talia sunt unguentum de Alabastro, Mariatum, Aregon, Martiatum, Masstichinum, Nervinum, gummi elemi, aureum, basilicon majus & minus, ex bdellio, Apostolorum, ceratum de galbano, œsypatum, emplastrum de galbano, de crustâ panis &c. Nec in hoc casu rejicienda videntur balnea aquæ dulcis simplicia, vel cum convenientibus plantis decocta, ut & naturalia ex aquâ sulphureâ calente constantia. Imò conducet etiam blandè fricari mammas, siquidem hâc ope vis medicamentosa aromatica, & salina volatilis tantò faciliorem ac liberiorem per ipsarum cutem ad glandulas nanciscetur introitum; ab apposito vel appenso mammis Mercurio vivo Lactis proventum augeri, testantur Practici.

VIII. Indurantur porrò non raro glandulæ ob sanguinem in ipsis subsistentem, & quandoq; extravasatum, unde tandem inflammatio mammarum, summos atq; atrocissimos dolores inferens oritur; cui occurrent post venam sectam superius memorata salina volatilia, & gummata resolventia, his verò refrigerantia, & si intensissimi dolores urserint opiata admisceri poterunt, eâ tamen observatâ cautelâ, ut refrigerantia modicè & prudenter adhibeantur, aliàs enim incongruè usurpata Lactis proventui omninò contrariabuntur; plura hùc transferri poterunt ex *Sect. II. Th. XXII. & seqq.*

IX. Similiter glandulis externè nocua sunt acida, qualia fœminæ nonnullæ pessimo more adhibent ad mammarum incrementum impediendum; sic aliæ incautæ alumen in usum vocare solent, ad impediendam, cohibendam, & sistendam Lactis generationem, utpote quod acido suo subacerbo, exsiccante, incrassante, adstringente, glandulas & fermentum ad producendum Lac inepta reddit, & in tali quidem casu præter laudata sæpius salina volatilia, & emollientia, Empl. de spermate Ceti, Empl. de cumino, Empl. diachyl. simpl. Empl. de galbano crocatum, itidem proficua fore credo. Nec minus debitam glandularum structuram lædunt fœminæ, quando pectus nimis arctè, pro servandâ corporis gracilitate, constringunt.

X. Quo-

X. Quoad cæteras cauſas antecedentes & procatarcticas, malo huic (indurationi ſc. glandularum,) fomitem ſuppeditantes, notum erit, Methodum Medendi contraria ſemper obſervanda ſuadere; ergò tantùm monemus, ſi à frigore externo, vento nempe boreali & aſpero, noxa inducta glandulis mammarum fuerit, ſudorifera bono cum ſucceſſu uſurpari poſſe, e.g. Antimon. diaphoret. Bezoard. Martiale vel Minerale. C.C. absq; igne præp. ocul. cancri ſal. card. bened. ſal. volatil. C.C. eboris, & ſimilia urinoſa volatilia, ut eorum ope particulæ acidæ & rigidæ iterum è corpore eliminentur: Si ab ingeſtis acidis, auſteris, glandulæ morboſum conſimile ſeminium ſuſceperint, poſt præmiſſa abſorbentia & præparantia digeſtiva, primas vias evacuare conveniet, ope Enematum vel laxativorum medicamentorum; interdicto ejusmodi aſſumtorum ulteriori uſu. Si verò à ſolo gravi animi affectu lactis in glandulis mammarum ſecretio turbata fuerit, ad humorum & ſpirituum inde diverſimodè depravatum motum, craſinq; vitiatam, reſpiciendum, illucq; medicamenta dirigenda erunt indicata alterantia; & ſi e.g. animus vehementer agitatus fuerit, mox ſanguinem mittere conveniet, quod 1. plethora, 2. æſtus ejus magnus, 3. motus ceſſans. 4. idem ad hanc vel illam partem nimium ruens, aut è vaſis ſuis alicubi effluens, indicabunt. Et hæc de generatione Lactis læſâ culpâ glandularum.

XI. Jam verò Lactis generatio etiam II. læditur culpâ fermenti, (quod ad mentem & doctrinam Sylvii ſubacidiuſculum, ſed ſale volatili valdè temperatum *Sect. præced. Th. 2.* pronunciavi,) quando iſtud vel in totum deficit, vel propter malam glandularum conformationem virtutem ſuam exſerere nequit, vel ab humore maligno ſuperveniente corruptum eſt: In primo caſu tentetur fermenti reſtauratio per acida volatilia temperata; in ſecundo mala glandularum conformatio emendetur per blandum mammarum affrictum, adhibita linimenta vel unguenta aromatica cum tantillo aceti vel oxymellis ſquillitici permixta; in tertio humor malignus, quem acidum viſcoſum utplurimum eſſe credo, corrigatur per remedia in Theſi V. & ſeqq. laudata.

XII. Læditur tandem III. lactis generatio ſanguinis culpâ, idq; contingit, vel quando ſubſiſtit, & ſubſequentem inflam-

mationem cum glandularum induratione inducit, vel quando acido atrabiliari humore, ipſum glandularum fermentum interdum deſtruente, interdum particulas pingues, oleoſas, chyloſas nimium coagulante, corrumpente, ſupprimente, inquinatus eſt, atq; ad medelam huc faciunt itidem anteà jamdum propoſita auxilia.

XIII. Et hæc de deficientis Lactis generationis cauſis & curatione dicta ſunto, quæ cauſas & curationem Lactis parcius & minori copiâ producti (ut alendo infanti non ſufficiat) facilè monſtrabunt, adeſſe nempe (ut paucis multa complectar) easdem cauſas, modò remiſſius agentes, quæ fuére generationis Lactis abolitæ, hincq; rationem & medendi methodum eadem Medicamenta in contrarium adhibenda docere, tantummodò remiſſius atque debilius operantia.

XIV. In ſpecie tamen quædam adhuc circa hæc monenda occurrunt: videlicet glandulas mammarias interdum & nimis exiles, & producendo Lacti copioſo minus aptas eſſe, quod ipſarum vitium omninò incurabile fermè habetur, niſi blandus mammarum affrictus aliquid præſtet, unà cum linimentis & unguentis aromaticis, quale præprimis Martiatum; quandoq; fermentum nimis iners atq; debile, imò glutinoſum exiſtere, aromaticis ideoq; ſalinis volatilibus, & ſpirituoſis acuendum & attenuandum; tandem etiam non raro ſanguinem peccare, ut adeò ejus culpâ imminuatur aliquando Lactis generatio, idq; fieri 1. ob vaſorum requiſitorum aliquam abſentiam, 2. quando ſanguis chyloſus parcus continetur in corpore. 3. quando parcus accedit ad mammas. 4. aliis in qualitatibus peccat. Sed de his plura.

XV. Quod itaq; attinet 1. vaſorum requiſitorum abſentiam, quia iſta arte reſtitui nequeunt, defectus lactationis hinc obortæ incurabilis relinquitur. Sanguis autem chyloſus 2. parcus continetur in corpore, propter notabilem ſui jacturam ex Lochiis menſibusve magnâ copiâ effuſis, variis hæmorrhagiis, ipſis etiam vulneribus, præſertim ubi majora vaſa ſauciata ſunt.

XVI. Quo in caſu ita jubente Methodo Medendi 1. cauſæ effuſionem ſanguinis producentes removeantur. 2. Præſens ſan-

ſanguinis effluxus cohibeatur, & novus impediatur. 3. ſanguinis reparatio procuretur. In fluxu ergò Lochiorum nimio, propter violentam ſecundinarum detractionem, uteriq; lacerationem exorto, uterus excoriatus ocyſſimè conſolidandus erit. Qvòd ſi eadem Lochia menſtruave nimium effluxerint, aut etiam alia hæmorrhagia oriatur, propter ſanguinem ſeroſum, aut bilioſum acrem, ſtudendum, ut acrimonia illa concinnis medicamentis, alcalinis cumprimis, terreis, cum aqueis diluentibus, itemq; emulſionibus amygdalatis, ſimilibusq; blandis oleoſis vel hordeaceis aſſumendis temperetur, & ſerum bilisve excedens minuatur, illud per diaphoretica, hoc per alvum ſubducendo, ope medicamentorum nonniſi hoſpiti in materiâ medicâ ignotorum. Hûc etiam quadrant incraſſantia, ſive ſanguinem quodammodo inviſcantia, uti lactuca, ſempervivum, ſolanum, violaria, fl. papav. rhead. ſem. 4. frig. maj. & min. lactucæ, malvæ, papav. & ex his paratæ emulſiones, lac chalybeatum &c. Si autem copioſus, aut alicubi congeſtus ſanguis hæmorrhagiæ author fuerit, optimè conveniet venam ſecare; ſic enim plethoræ indicanti per detractionem ſatisfit, & congeſtus ſanguis ad priſtinum motum invitatur. Si rarefactus ſanguis effluxum nimium molitus fuerit, ſubauſtera, incraſſantia atq; refrigerantia conducent. Si flatus aut diſtenſiones turbas ſanguini intulerint, ſudorifera commendamus. Si alia acrimonia rodens in vaſis, aut extrà ipſa ſubſiſtens animadvertatur, eadem per invertentia, & abſorbentia contraria, cum opiatis prudenter mixta, corrigatur. Vulnera deniq; lege artis tractentur, primumq; omnium ſanguinis profuſio ſiſtatur.

XVII. Imò cum res nonnaturales ſæpè etiam cauſæ procatarcticæ hæmorrhagiæ qualiscunq; exiſtant, ad ipſas etiam reſpiciendum erit; ita ſi aër æſtuans tale quid excitaverit, idem fugiendus erit, temperandusve; ſi contrà glacialis, fugiendus pariter, aut blandis aromaticis ejus aciditas ad acrimoniam vergens, corporiq; communicata, corrigenda, atq; cum ſudoribus per emunctorium univerſale propellenda erit. Si nimis multa aromatica, & quidem acriora, cum alimentis ingeſta fuerint, uſurpanda ſunt acrimoniam illam ſenſim mitigantia, tum aquea, tum ſubauſtera, tum ſuboleoſa, plantago, ſempervivum, ſolanum,

num, lactuca &c. emulſiones variæ ex hordeo, amygd. dulc. ſem. papav. albi & aliis appropriatis paratæ, quin & opium & opiata quævis blandiora, minimeq; acria, ſed magis adſtringentia, ſæpius & quidem quantitate parvâ exhibita, uti ſunt elect. diaſcord. Fracaſt. Theriaca &c. Si effuſio ſanguinis à motu corporis vehementiori oborta fuerit, hoc quieti dandum, ſomnusq; conciliandus eſt emulſionibus blandis, non tamen narcoticis potentioribus; quod etiam de nimiis vigiliis dicendum. Si ab alvo adſtrictâ, ea enemate, teſte Sylvio, remedio omnium blandiſſimo, tutiſſimo, præſentiſſimo, facillimo & aptiſſimo, laxanda eſt. Si ab irâ vehementiori, juverit rationibus ſolidis motos componere fluctus, emulſionibusq; laudatis blandum conciliare ſomnum.

XVIII. Quod ad ſecundam Indicationem ſpectat, ut ipſe ſanguinis effluxus cohibeatur, & novus impediatur, id præſtabunt Medicamenta, tum hiantia tum læſa vaſa conſolidantia, ſub quâvis formâ, Decocti, Mixturæ, Conditi, Pulveris, Pilularumve exhibita, forinſecus etiam ſi licet, applicata; quorum pro lubitu ac neceſſitate ſeligendorum farraginem *Macaſius in Prompt. Mat. Med. Sect. IX. cap. 21. p. m. 341.* recenſet; inter præcipua tamen laudatur ſanguis Draconis, cùm quibusvis liquoribus facilè jungatur, & quaquaverſum transferatur: Intereà ſimul neceſſe eſt, ut ægra ſibi caveat ab omnibus quæ humores in corpore exagitare, eorundemq; in ipſo motum augere poſſunt, nec minùs evitet fugiatq; quantum licet omnes cauſas externas, adeoq; fortuitas, à quibus lædi, aperiri & vulnerari poſſunt vaſa.

XIX. Sanguinis autem reparatio, (quam Tertia poſtulat indicatio) procurabitur per alimenta *εὔχυμα καὶ εὔπεπτα*, qualia ſunt juſcula carnium animalium juniorum, caponum, emulſiones amygdalarum dulcium, piſtaciorum, vitelli ovorum, & lac, talia namq; in aſſuetis præcipuè fœminis propter paucas recrementitias particulas haud difficulter in chylum abeunt, qui ſanguini aſſociatus, riteq; præparatus, in mammis lac conſtituit; ubi tamen notandum, ſummos Practicos ſemper ferè ea fœminis concedere, quibus delectantur maxime, quæ aſſumta ferre poſſunt facillimè, & quibus nutriri ſolent copioſiſſimè.

Hoc-

Hocq; pacto occurritur etiam chylo ceu proximæ lactis materiæ, in sanguine deficienti, eundemq; minùs chylosum & ad lactationem sustinendam insufficientem relinquenti.

XX. Cæterùm imminuitur etiam Lactis generatio, quando sanguis chylosus parcior ad mammas accedit, quippe non juvat multum inesse corpori, ni etiam in quantitate conveniente uberibus communicetur: Hoc autem evenit, quando arteriæ ipsum eò deducentes nimis exiles sunt, nec appropinquante partu, uti quidem decebat, ampliantur, sicuti aliàs plus sanguinis ad mammas deferendo earundem expansioni atque turgescentiæ ansam præbent; interdum etiam affectus aliquis in mammis, aut arteriarum canaliculis p. n. obortus, arterias quasdam aut consumit, aut notabiliter angustat, e. g. lateris combustio ab igne actuali, & aliquando forsan à potentiali, quovis modo, prudenter vel imprudenter, circa arteriarum ductus applicato; Similiter præpostera pectoris angustatio ac vasorum compressio, aut eorum obstructio à pituitâ glutinosâ, lentâ atq; viscidâ, accusanda venit; Prius malum vix nisi lentè curari, aut ex parte saltem emendari poterit, & quidem blandâ ac frequenti frictione loci, per quem ad mammas tendunt vasa sanguifera; nam in partium, præsertim continentium emendatiodatione ac mutatione à statu nativo, (cùm ea difficilius & segnius obtineatur,) non festinandum, sed lentè procedendum est; quapropter hîc etiam monuisse juvabit, ne frictione vehementiore aut diuturniore quassentur, lædanturve mammarum glandulæ, sicq; inflammationi ansa detur; his autem frictionibus addi possunt unguenta & olea emollientia, qualia sunt ung. alth. popul. resumpt. mucag. nervinum &c. ol. lil. alb. amygd. dulc. chamæm. hyperic. irin. lini, lumbric. terrestr. populin. sapon. Venet. de vitell. ovor. pinguedo humana, & aliorum animalium, quorum omnium ope emolliri laxariq; possunt tunicæ arteriarum, sensimq; aptæ fieri, ut magis explicentur, sicq; ampliores redditæ plus sanguinis deferant ad mammas; hinc fœminas, quibus post primum partum paucum generabatur Lac, id magis copiosum & fœtui Lactando sufficiens, sequentibus partubus fundere, observamus. Quodsi tamen blandioribus frictionibus aut emollientibus extrinsecus admotis, arteriarum mamma-

riarum angustia corrigi nequeat, nec alia deficientis Lactis subsit causa, præstat ab ulterioribus moliminibus abstinere, quàm fortioribus graviora accersere mala. Intereà cucurbitularum, præsertim non scarificatarum, dorso applicatarum usum, nonnulli Practicorum præcipiunt. Sicubi verò ab affectu quovis fortuito, aut alio, corrugatæ aut exsiccatæ, consumptæve ex parte saltem fuerunt arteriæ mammariæ, videndum, an remediis externis, præsertim oleis, linimentis, unguentis, emplastris, cataplasmatibus, fotibus, balneis, & similibus emolliri, sicq; ab adhærentibus viscosis & austeris humoribus sensim liberari, ac tandem iterum ampliari ac explicari possint: ubi ex paulò ante laudatis remediis quædam iterum modo dicto scopo apta erunt, item empl. diachylon simpl. & compos. de meliloto, ex gummatibus parata varia, tùm cataplasmata ex rad. irid. nostr. lil. alb. liquirit malvæ, alth. herb. alth. branc. ursin. verbasc. malv. melilot. mercurial. parietar. violar. fl. chamæm. croci, lil. alb malv. melilot. sambuc. cum vitellis ovorum, Lacte, & similibus parata. Atq; his nihil efficientibus acquiescendum erit, & ferendum quod mutari nequit. Quòd si autem pituita viscida arterias mammarias obstruxerit, effectum optatum dabunt sudorifera salina volatilia propinata, horum namq; usu sanguis rarefiet, ejus motus excitabitur, claustraq; obstructionis perrumpet; dum externè simul inungentur olea & unguenta aromatica salinis volatilibus permixta, item talia emplastra atq; cataplasmata; Laudavimus suprà instar omnium unguentum Martiatum, quod & in hoc casu applicandum.

XXI. Jam verò si in aliis qualitatibus peccet sanguis, & viscosior atq; glutinosior existat, segnior hinc & parcior Lactis proventus sequetur, nam quatenus fermentum Lactificum est naturæ subacidæ ac temperatissimæ, facilè ejus operatio impeditur à sanguinis viscositate & glutinositate, quin & ipsum tandem tale evadit. Pro Curatione igitur sanguinis viscosioris glutinosiorisq;, incisione ac correctione opus erit, quam intendemus: (1) Medicamentis aromaticis & sale volatili abundantibus. (2) Medicamentis aciditate blandâ & volatili præditis. Aromatica regnum præcipuè suppeditabit Vegetabile, plus satis nota, quàm ut prolixè recenseri debeant, uti potissimum

ani-

animale ſalia volatilia; at ex minerali acida petenda ſunt, multò efficaciora illis vegetabilium acidis, hæc inter autem concreta ſalina inprimis obveniunt, ex quibus deſtillatione elici ſolent ſpiritus acres & acidi, additione ſpiritus volatilis & cohobatione frequenti blandiores & volatiles reddendi, ut ſunt ſpiritus ſalis dulcis, ſpiritus nitri dulcis, elixir vitrioli Mynſ. &c. Quòd ſi autem ſanguis exiſtat fervidus nimis, & ignis vitalis, voraciſſimus heluo, omne quod eſt pingue & oleoſum chyloſum, in Lac mutandum abſumat, tunc ſui attemperationem idem poſtulat per blanda acidiuſcula præſcripta, vel per aquea diluentia & refrigerantia, præſertim emulſiones ex talibus paratas. Fervori ejus utplurimùm conjuncta raritas eſt, ſimiliter refrigerantibus & incraſſantibus, admixto etiam opiatorum tantillo, & adhibito cætera legitimo ſex rerum nonnaturalium uſu, tollenda. Venæſectio etiam hîc, ſi reliqua indicantia eam concesserint, non prætereunda. Quòd ſi tandem ſanguis terreſtris nimiùm atq; vappeſcens peccet, ſalinis volatilibus, aromaticis, ſpirituoſisq; excitandus atq; exaltandus erit, inſtituto inſimul motu corporis, atq; vigiliis convenientibus, obſervatâ excernendorum ac retentorum lege, animoq; pathematibus hilarioribus recreato.

XXII. Et hæc de cauſis parciorem Lactis proventum inducentibus dicta ſunto: nunc videbimus cauſas Lactis copioſioris, ob quod non tantùm ſæpè gravantur Lactantes, ſed & non rarò debilitantur: Nam quatenus ab ipſo largius producto diſtenduntur mammæ, dolor excitatur gravativus & pondere ſuo angens, quatenus autem multum Lac vel ſponte ſuâ effluit, vel etiam Lactatione educitur, neceſſariò ſanguis nutritiâ, eâq; haud exiguâ ſui parte, privatur, ſicq; fœminæ debilitantur, quamvis notatum fuerit, has magis debilitari, quibus Lac ſpontè, quàm illas, quibus ſuctione tantùm elicitur.

XXIII. Quotiescunq; ergò tale quid contingit, cauſa ejus latebit vel in glandulis mammariis, vel in fermento, vel in ſanguine, vel in poſteriori utroq;.

XXIV. Rarius multum Lac producitur, quando duræ ſunt mammarum glandulæ, è contrario uberiorem ejus proventum hæ ipſæ molliores efficient; Videntur autem tales eſſe ob acidum

dum minus acre, acerbumq; in ipsis existens, quandoquidem acidum & acerbum quoquo modo usurpatum, eas indurare, experientiâ constat: Et hæc mollities, cum non adeò noxia & vitiosa sit, vix mutari debet, ne, dum aliquatenus glandulas condensare studemus mammarias, nimium quantum induremus, & rivulum evitaturi in amnem incidamus, majoremq; noxam accersamus.

XXV. Fermento Lactis ubertas debetur, quoties ipsum existit tùm copiosum, tùm potens & spirituosum. Erit tale vel naturâ, vel demum fiet inter alia propter aërem serenum, atq; ad frigus paululùm vergentem, maximè verò propter alimenta acido volatili prædita, quæ simul ejus copiam & robur atq; efficaciam augebunt. Propterea si fermentum istiusmodi immutare animus est, abstinendum erit ab iis, quæ productioni illius occasionem quoquo modo suppeditant, contrà talia in usum vocare decebit, quæ vim habent acidum tale in nobis obtundendi & infringendi, qualia sunt pinguia & glutinosa, & acerba, & aquea, & acida fixa, & salsa lixiva fixa, e. g. varia ex tragacanthâ & mucilaginibus parata, succus acetosæ, acetosellæ, berberum, citri, granatorum, ribium, eorumq; syrupi & essentiæ, spiritus nitri, vitrioli, sulphuris & alii minerales, cremor & crystalli tartari, acidum tartari rubrum, crystalli acetosellæ, sal centaur. min. absynth. card. bened. & omnia ferè salia ex herbis per incinerationem parata; quin & conducet ad minuendam hujus fermenti energiam blandos quandoq; excitare sudores, propinatis etiam sudoriferis intentioni nostræ servientibus.

XXVI. Sanguini Lactis ubertas adscribenda venit, quando is non tantùm laudabilis & optimus, sed & fluidus quoq; simul existit ac tenuis. Laudabilem verò optimumq; producunt temperamentum sanguineum, aër serenus ac temperatus, alimenta multi succi & facilis digestionis, corporis motus mediocris, somnus moderatus & placidus, excreta & retenta secundùm naturam sese habentia, animus deniq; hilaris, ejusq; læta pathemata. Tenuem & fluidum (non intelligo hîc fluiditatem aqueam, sed spirituosam) efficiunt potissimùm alimenta spirituosa & sale volatili abundantia, laudabili non tamen nimiâ copiâ ingesta.

XXVII.

XXVII. Unde, si non tantùm multum, sed & nimium ideò producitur Lac, in id incumbendum, ut sanguinis chylosæ, nutritiæ, lactescentes portiones per enumeratorum contrarium usum aliquantulum detrahantur ac imminuantur; deinde etiam major ipsi viscositas ac glutinositas concilietur, quod fiet: (1) mutando aërem in aliquantò frigidiorem & asperiorem. (2) quoad alimenta, abstinendo à spirituosis, maximè à salinis volatilibus, & in eorum vicem substituendo, quæ succo crasso ac glutinoso scatent, similemq; producunt, qualia sunt vegetabilia valdè succulenta, plantago, portulaca, fabæ, alchimilla, beccabunga, amygdalæ, sem. 4 frig. maj. & min. pyra, cydonia, mespila, cibi viscosiores, saliti, fumoq; indurati, hîc etiam proficui erunt; corpus (3.) minùs movendo, sed quieti potius tradendo; somnoq; (4) indulgendo; (5) partium subtiliorum blandam lenemq; evacuationem procurando. (6) deniq; animum ad tristitiam mœstosq; affectus componendo. Pluribus medicamentis, quæ urgente casu quodam, fons Pharmaceuticus suppeditat, nunc recensendis supersedeo, sufficiat indicasse, hîc etiam utilia esse salina fixa, item frigida, & respectivè incrassantia, qualia sæpius citatus *Macasius Prompt. Mat. Med. Sect. III. cap. 1, 2, 3, 4. & Sect. 8. cap. 9.* seligenda proponit; cum grano tamen salis applicanda.

XXIIX. Restat inquirenda Lactis Generatio læsa, quoad qualitates ejus, scil. consistentiam, colorem, odorem, saporem, & puritatem. Laudatur Lac consistentiâ mediocre, culpatur crassum nimis; quod vitium & fermento acidiori, & sanguini crasso ac glutinoso adscribendum videtur: erit autem sanguis crassus vel propter acidum plus minus in ipso hærens, vel propter deficientes particulas spirituosas, abundantes contrà terrestres fixas; vel propter particulas oleosas, pingues, chylosas in majori copiâ ipsi admixtas, vel propter absentiam seri sufficienter eundem diluentis. Jam verò quomodo fermento acidiori, acidoq; in massâ sanguineâ abundanti, deficientibusq; spirituosis portionibus subveniendum sit, ex antecedentibus, quæ hûc quoq; referri debent, peti poterit. De chylosis exsuperantibus particulis monendum, eas potissimum per sex res nonnaturales minui, aërem nempe calidiorem, cibum non multi succi, sed

parti-

particulis salinis volatilibus, aromaticis scatentem, potum minus generosum, sed aqueum diluentem; motum, vigiliasq; excessivè admissas, & alia; Medicamenta si quæ assumere placet, ea vel salina volatilia, aromatica, sint, vel aquea: Absentia seri verò recuperatur per aërem frigidiorem & humidiorem, cibum humidiorem, potumq; largiorem, somnum & quietem frequentiorem; medicamentis verò hîc multis non opus esse videtur, quum Diæta plurimum in tali casu præstet. Nec minùs interdum lac generatur tenue nimis, propter fermentum aquosum, debile, vel plus justo salinum volatile, sanguinem pariter tenuiorem & fervidiorem, majoriq; seri copiâ impregnatum; intereà quomodo in specie fermentum aquosum & debile resuscitandum sit, aut nimis volatile figendum, jam satis docuimus; pari quoq; ratione sanguinis tenuitas atq; fluiditas coërcebitur; inprimis autem Lac tenuius incrassabitur paululùm, prudenti ac diutino usu austeriorum blandiorum remediorum alimentis junctorum.

XXIX. Color Lactis bonus est ex cœruleo albicans, malus judicatur flavescens aut impensè albens; impensè albicans Lac ferè semper simul existit crassius, propter pituitam plus minus in sanguine abundantem, eductione ac correctione curandam; eliminabunt illam vulgò sic dicta phlegmagoga, sed per epicrasin & parvâ dosi exhibita, cum suis stimulantibus & corrigentibus aromaticis, ex quibus pro lubitu variæ concinnari poterunt pulverum, bolorum, pilularum, emulsionum, haustuum, & electuariorum formulæ; corrigent autem felicissimè aromatica, salina volatilia, notissima. Flavedinem autem lactis quod concernit, hæc oriri videtur à bilis Tincturâ, in sanguine exsuperante, atq; Lacti communicatâ, ubi pro evacuationis scopo communissima commendamus cholagoga, hæcq; per intervalla exhibita, additis itidem stimulantibus & carminativis; Posthæc proficua erunt bilem excedentè præcipitantia & corrigentia, eaq; acidiuscula, uti sunt spiritus salis, sulphuris, nitri & vitrioli, simplices, vel quandoq; dulcificati, Mixt. simpl. Clyss. mineral. syrup. acetos. acetosellæ, acetosus simpl. & compos. acetosit. citri, berberum, ribium, cerasor. acid. essent. acetos. acetosell. citri, Træ bellid. rosar. violar. papar. rhead. cum phlegmate

mate vitrioli præparatæ, crem. & cryſtall. tartari, cryſtall. acetoſell. & ſimilia. tùm etiam alcalina terrea abſorbentia vulgatiſſima. Sylvius præ omnibus laudat vitriolum ſuum depuratum, & imprimis ex ferro paratum, quod ſi ulterius præparetur, plus præſtare ait, ac præſertim ejus ſulphur anodynum. Ceterùm lac odorem diverſum ſpargit pro ratione variorum odoratorum aſſumtorum, vel aliorum etiam, ſanguini communicatorum, qui tamen ſubtractis iis facilè iterum evaneſcet.

XXX. Sapor lactis naturalis aliàs dulcis eſt: Interdum tamen amaricat, idq; propter bilem ſanguini ejusq; ſero permixtam, non rarò etiam ipſi fermento Lactifero communicatam, tametſi enim nonnulli negent, ſerum unquam amarum repertum fuiſſe, id tamen contra viſus atq; guſtus ſenſum loquuntur, quippe ſerum ſanguinis per V. S. emiſſi, ſæpè ſæpius & colorem inſpicientibus flavum, & ſaporem guſtantibus amaricantem, certiſſimo commiſtæ bilis indicio, obtuliſſe, præter aliorum etiam celeberrimorum Practicorum teſtimonia, me pariter docuit fideliſſima Informatio ex ipsâ autopſiâ deducta, *Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, & Experientiſſimi Viri* DN. JOHANNIS MAURITII HOFFMANNI, *Philoſoph. & Medicinæ Doctoris meritiſſimi, Chemiæ atq; Anatomiæ Profeſſoris Publ. celeberrimi, Facultatis Medicæ p. t. Decani ſpectatiſſimi, S. R. I. Naturæ Curioſorum Collegæ digniſſimi, Dn. Promotoris ac Præceptoris ad aras colendi*; corrigendus itaq; erit ſapor hic nauſeabundus diminutione bilis univerſali, per blanda cholagoga ex antecedentium ſerie eligenda; non neglectis congruis pro exceſſivæ bilis eliminatione diaphoreticis, itidemq; abſorbentibus, pro corrigendi atq; imbibendi fine. Prætereà quandoq; Lac ſubſalſum generatur, à ſero ſanguinis ſalſo muriatico arctius ipſi juncto, quod optimo cum ſucceſſu per Hydragoga ſæpius & minori quantitate exhibita, corrigitur; Sudorifera & Diuretica commodo hîc etiam ſuo non carebunt uſu; & inter Sudorifera quidem laudem merentur, cortex ſambuci, C. C. bolus armena, ebur foſſile, terra ſigillata, terra ſileſiaca, ſtrigenſis, Decoct. & eſſent. Lignorum, aqu. card. bened. ſambuci, ſcabioſæ, decoct. C. C. ſpiritus C. C. guajaci, ſaſſafras, fuliginis, bacc. ſambuci, ſcordii, ſalis armoniaci, Liquor C. C. ſuccinatus, miſtura ſimpl. ſeu Diaphoret.

Andernac. TRa Bezoartica, ex sambuco, Rob Juniperi, Sambuci, Veronicæ, Antimonium diaphoret. cerussa antimonialis diaphoret. magist. C. C. Inter Diuretica verò huic fini inserviunt varia ex *Macas. Prompt. Mat. Med. Sect. 9. cap. 7.* pro usu petenda, quorum præcipua fermè sunt, sal volatile tartari, Tra tartari, oleū æthereum Terebinth. baccar. Junip. extract. heder. terrestr. succus expressus raphani orbicularis, nasturtii & cochleariæ, aqua sambuci ter destillata, fragorum simpl. & cum spiritu vini, raphani rusticani, ceparum, petroselini, nephritico-Diuretica *Clariss. Wepfferi*, & salia lixiva quævis ex vegetabilibus arte parata, maximè verò è fabarum stipitibus, urticâ, genistâ & absynthio &c. Quisquis autem formulas ex pluribus vegetabilibus usu approbatis legere desideraverit, evolvat Felicis Plateri Praxin Medicam in Curat. ascitis Hydropis. p. m. 254. Balnea insuper aquæ dulcis tepida salia hæc sylvestria muriatica multum diluent, atq; per poros corporis educent.

XXXI. Purum dicitur Lac, quando nullis heterogeneis particulis permixtum est, sed ex suis oleosis, chylosis, pinguibus, sero dilutis, constat; Varia tamen heterogenea quandoq; corpora ipsi permiscentur: Hic sibi locum vindicat observatio *Aristotelis* adducta *VII. de hist. animal. cap. 11.* Si lactans pilum cum cibo aut potu ingerat, ad mammas pervenit, & in earum papillis consistens, morbum inducit, qui τριχίασις nominatur: Sic etiam inflammationem mammillarum ex pilo hausto memorat *Zacutus de P. P. M. Lib. II. Hist. 30. f. 234.* Nec silentio prætereunda est à *Prospero Martiano Comment. in Hippocr. de Nat. pueri* allata observatio, de Matronâ quâdam Romanâ, cujus è papillâ Chirurgi manu extractus fuit Cichorei surculus, quem hesternâ cœnâ comederat: & alia de puero quodam, qui furfures cum fæcibus deposuerat, cùm panem furfuraceum comedisset nutrix. De Lapidibus in mammis visis, testatur *Severinus*, atq; de diuturno puris fluxu è mamillis. Sanguis extravasatus ac grumosus, sæpius cum Lacte excernitur. Aphorismum tamen *Hippocratis 40. Sect. 5.* ex iis esse quæ rarò eveniunt, docet Commentator ejus *Galenus.* Assuguntur adhæc cum Lacte mores & morbi ipsi nutricis, uti toto die patet, vel tussientem matrem seu nutricem infallibiliter quasi conciliare tussim

infanti, Scorbuticas, Lue venereâ laborantes, inficere insontes puellos. In orphanotrophæo Patavino, La casa di Dio dicto, infantes qui ibi educantur projectitii, ac unum fermè omnes morbo Gallico inquinati sunt, propter Lac nutricum eâdem spurcitie infectum, quod sugunt. Quid? quod ipsa doceat quotidiana rerum Magistra, pueros tenellos purgari per pharmacum nutricibus propinatum, ac deinde mediante Lactatione ipsis communicatum, sicuti jam olim novisse Divum senem ex verbis ipsius clarum est, quando *Lib. VI. Epidem. Sect. 5. t. 33.* inquit: *Mulier autem & capra, elaterium aut cucumerem Sylvestrem comedentes, pueris purgatio.* Quapropter in lacte, impuro culpâ matris reddito, emendando, Medicus causarum procatarcticarum, tùm antecedentium rationem habebit, easq; partim tollet, partim interdicet, partim corriget. Et hæc quidem de Generatione Lactis læsâ dicta sunto!

SECTIO III.

De Lactis Motu & Effluxu læso.

TH. I.

UT Lac in fœminarum uberibus ritè paratum, metam, cui destinatum est, (nempe utilitatem & nutritionem fœtus) attingat, ad ipsorum papillas, quin etiam per has moveri debet, quem in finem ductus & canales, sive tubuli Lactiferi formati sunt, à glandulis mammarum ad papillas & per papillas exporrecti; ne verò involuntario atq; nocivo Lactis effluxu sexus hic sequior tentaretur, prudentissima natura singulis ductibus membranulas sive valvulas, exitum Lactis spontaneum impedientes, applicavit; quotiescunq; ergò suavissimo suo, & vel ipso nectare atq; Deorum ambrosiâ sibi gratiori obsonio pasci gestit tenellus, ut fluxus impedimenta removeantur, labiorum compressione, & huic conjuncto suctu exitum Lacti parare debet, accedente etiam applicatâq; circa papillam linguâ, quæ etiam salivam papillis applicando, & poros leniendo, procul dubio ad Lactis quoq; eductionem aliquid confert, unde forsan multæ fœminæ, antequam mammis fœtum admoveant, pro-

priam papillam madefacere, ficque Lactationem facilitare folent.

II. Et ita ferè fieri credo atq; abfolvi Lactis motum & effluxum è mammis per papillas naturalem, qui feptemplici potiffimum modo præter naturam vitiatur: Et (1) quidem, quando nullum. (2) quando parcius quàm decet, Lac in mammis jam præfens per papillas effluit. (3) quando difficulter ac cum dolore. (4) quando facilius ac fponte, five fine fuctu. (5) quando per vias inconvenientes, non item per tubulos papillarum. (6) quando cum Lactantis debilitate. (7) quando ejus loco fanguis, pus, fanies, aliusve humor diverfus egreditur.

III. Nullum autem Lac effluit, quando in mammis ftagnat, nec per papillas exit, idq; vel ipfius Lactis, vel viarum anguftatarum aut compreffarum, vel deficientium papillarum vitio.

IV. Lactis quidem culpâ tale contingit, quando iftud in vafis, atq; in ipfis adeò mammis coagulatur & grumefcit; quam coagulationem potiffimùm derivo ab acido, five iftud undecunq; in corpore productum, auctum, & ad mammas delatum fit, five forinfecus imprudenter mammis applicetur; tùm ab aëre frigido & acri ad mammas, & imprimis fudantes admiffo, item ab aquâ frigidâ, & fimilibus &c.

V. In corpore producitur acidum maximè ab alimentis, condimentis, medicamentis acribus, acidis, affumtis vel copiofius, vel diutiùs; augetur verò & intenditur ejus vis à cæteris rebus nonnaturalibus, præcipuè ab animi mœrore aut dolore gravi, Lactantes fœminas corripiente.

VI. Forinfecus autem ab imperitis quibusdam, imprudenter fatis, Lactantium mammis acidum fortius applicatur, v.g. acetum, alumen, fi eryfipelate aut inflammatione quâdam aliâ externâ correptæ funt; nam tametfi talia his affectibus curandis aliàs idonea effe poffint; in ejusmodi tamen circumftantiis, ubi eodem tempore Lac in mammis gignitur, rejicenda funt.

VII. Præterea fæpius & incautè, & incaftè admodum, aëri externo frigido & acri Lactantes quædam fua exponunt ubera, hoc enim modo, (præcipuè fi fudore madent) per patentes ipfarum poros aëri acri, acido, copiofior ac nocivus patet ingreffus. Ita quoq; valdè noxium eft, easdem mammas calentes ac fudantes,

tes, aquâ frigidâ madefacere; aut pluviæ nudatas tradere; quandoquidem hâc ratione pori aperti repentè implentur, constringuntur, & propter horrorem Lac in viis suis facilè stagnat & coagulatur; Taceo aquas quasdam, præsertim pluviales, nonnihil mineralium, acidarum, metallicarum particularum in gremio fovere, unde coagulationis manifesta sese offert causa.

VIII. Recensitis in casibus, Indicatio curatoria tria hæc requirit. (1) ut removeantur causæ externæ omnes ne amplius noceant & curam impediant. (2) ut corrigantur & emendentur causæ internæ. (3) ut Lac coagulatum resolvatur, & motus amissus ipsi restituatur.

IX. Dixi extrà applicatum acidum fortius, aut aërem acrem acidum, aut frigidum mammis admissum, Lac in ipsis coagulare; ubi ergò ex inconsiderato dictorum usu & occursu, error commissus fuerit, præstantissimum omnium erit, (ut primæ satisfiat Indicationi) removere nocentia, & imponere ea, quæ acidum coagulativum corrigere, noxamq́; tollere possunt. Talia verò sunt aromatica quævis, quovis modo præparata, & vel sub fotus, vel cataplasmatis, vel unguenti, vel linimenti, vel emplastri, vel aliâ formâ imposita. Ita namq́; Plantæ aromaticæ, mentha, majorana, ruta hortensis, absynthium &c. poterunt decoqui in vino generoso, addendo subinde sub finem (ut efficacius reddatur decoctum) ipsum spiritum vini, hocq́; fomentum calens applicare mammis licebit cum pannis lineis, laneisve, atq́; toties iterum renovare, quoties aut exsiccari aut refrigerari incipit. Ex iisdem plantis cum vino Decoctis & contusis, parabimus quoq́; cataplasmata mammis imponenda. Si patientes pinguia perferre possunt, non dissvademus inunctionem mammarum cum oleis, unguentis, & emplastris aromaticis. Imprimis autem aër frigidus & acer, cane pejus fugiatur & angue, mammæq́; contrà ipsius injurias omni curâ muniantur, siquidem quodvis frigus externum hîc maximè noxium est, quod etiam de aquâ quavis frigidâ & pluviali monendum.

X. Secundam Indicationem quod concernit; abstinendum ab omni abusu, vel si possibile fuerit, usu alimentorum, condimentorum, & Medicamentorum acidorum, aut ea usurpentur ad minimum in exiguâ quantitate, ita namq́; acidi peccantis ex-

cessus

cessus corrigetur, & ad mediocritatem redigetur: Somno & quieti plus omninò dare licebit: Excernenda omni studio promoveantur: Animi verò mœror atq; terror præcaveantur, vel si præcavere impossibile fuerit, affectus isti minuantur, animum in adversis firmando, contraq; audentius eundo. Propinanda insuper erunt acidum tale in corpore infringentia, eaq; quovis tempore ac modo grato & convenienti, quò pertinent potissimùm toties jam laudata salina volatilia & aromatica, quæ cum absorbentibus alterna amabunt.

XI. Interdum etiam febrile frigus molestum, Lac grumescere facit, forsan propter succi nutritii, in materiam nitrosam & acrem degeneris, fluorem (ceu phœnomenon hoc explicat *Willisius Tract. de Febribus cap. 3. p. m. 82.*) ut ergò causæ huic coagulanti præveniatur, eademq; minuatur, suademus medicamenta, non tantùm sale volatili abundantia, sed imprimis aromatica tùm spirituosa, tùm oleosa, qualia sunt rad. contrayervæ, Imperat. cortex chinæ chinæ Indorum, fol. absynth. card. bened. ruta, serpillum, nux moschata, cariophylli, piper, aqu. vitæ Matthioli, Theriacalis simplex, sal volatile succini, C. C. armoniaci, salia volatilia oleosa, aliaq; infinita ex aromaticis plantis & spiritu vini parata: Sylvius nullum præstantius remedium ad frigoris febrilis molestias moderandas superandasq;, se reperisse, expertus confirmat, quàm oleum cariophyllorum: & talia tùm ante paroxysmum febrilem, tùm ipsius frigore durante, parvâ quantitate subinde exhibere conducet: Sed pluribus febrilis affectus curationem nunc proponere, mei non est instituti, quæ exigente casu & necessitate ex Practicorum Libris commodius peti poterit.

XII. Frigida porrò vel alimentosa, vel medicamentosa, vel ex utroq; mixta, nimium usurpata, consimilem edere possunt effectum, quia humores incrassant, poros occludunt, adeoq; sanguinem & Lac subsistere, subsistentia tandem coagulare faciunt. Idcircò sanitati vix melius consuli poterit, quàm à talium immoderato usu abstinendo, & horum loco salina volatilia, aromatica, spirituosa, assumendo, & extus etiam applicando.

XIII. Quodsi tamen in quibusdam hactenus memoratorum error ex incuriâ commissus fuerit, atq; nocivus eventus

(Lactis

(Lactis nempe coagulatio) subsecutus fuerit, in id incumbere oportet, juxta indicationem tertiam, ut idem iterum dissolvatur, & fluxile factum viâ ordinariâ per papillas iterum effluat. Cùm igitur aromatica & spirituosa ad Lactis coagulati dissolutionem plurimùm faciant, eadem quæ præced. Thesibus commendavimus, hîc etiam in usum vocare licebit, videlicet quæ coagulationi Lactis præcavendæ, eidem etiam coagulato iterum resolvendo & restituendo conveniunt; si tamen insuper sal volatile quodvis, & in specie armoniaci, cum spiritu vini & aquâ aliquâ aromaticâ misceatur, vixq; tepens mammæ imponatur, aliquoties renovandum, plurimum certè promovebitur Lactis coagulati dissolutio; nec gummata, utpote aliàs potenter resolventia, hîc omittenda sunt, bdellium puta, benzoinum, galbanum, gummi ammoniacum, animæ, arabicum, ladanum, masttichen, myrrham, olibanum, opopanax, sagapenum, sandaracham, sanguinem draconis, sarcocollam, styracem calamitam & liquidam, tacamahacam, thus &c. quæ in emplastra redigi poterunt cum cerâ, spermate ceti admixto, quale etiam jam notum est emplastrum de spermate ceti dictum; nec alia emplastra resolventia hîc suo carebunt effectu, uti diachylon simpl. & cum gummis, emplastrum Malacticum Excellentiss. Dn. D. Hoffmanni Junioris, de meliloto &c.

XIV. Haud rarò tamen contingit, ut vel per incuriam ab ipsis ægris, vel per imperitiam potius à curantibus, Lactis coagulati dissolutio negligatur, sicq; Lac coagulatum amplius corrumpatur, tandemq; factâ inflammatione pergat ad suppurationem, quippe omnis ferè inflammatio ad suppurationem tendit, ni præveniatur.

XV. Antequam ergò ad hujus curationem accedam, præsuppono (1) Lac coagulatum quidem restitui posse in integrum, non item corruptum, & in pus mutatum. (2) Lac non universum semper simul in pus corrumpi, sed paulatim ac per partes, cumq;, licet non universa ejus suppuratio, aliqua tamen ejus pars impediri nequeat, sollicitum etiam tunc esse continuò de antevertendâ Lactis suppuratione, debere medicum, ubi nullum amplius dubium est de inchoatâ ejus suppuratione.

XVI. Propterea quandocunq; Lac in fœminarum mammis subsistens, ipsas distendendo ac dolores pariendo, inflammatio-

nem minatur, hinc & ſubſecuturam ſuppurationem, optimè hæcce nuper laudatis tùm aromaticis, tùm ſpirituoſis, tum ſale volatili abundantibus mox præcavebitur, quæ tamen inter potiſſimum ſibi meritò locum tribuunt cepæ, ſub cineribus aſſatæ, quò acrimonia earum excellens mitigetur; eandem indurationem mammarum ex Lactis copiâ ſubſiſtente, unius diei ſpatio curari aſſerit Barbette in Anat. Practicâ, unguento altheæ compoſito, modò ſuctione mulieris alicuius aut catelli materia aquea ſæpius educatur.

XVII. At cùm jam inchoata eſt ſuppuratio, quod cognoſcimus ex dolore pungente, ac cum calore in mammis perſeverante, jungenda prioribus erunt emollientia, ſic dicta pus generantia, (non quod reverà pus producant, ſed quod ipſum blandius producant, atq; partes ita diſponant, ut à pure minus malè afficiantur,) quæ in cataplaſmatis formam redacta, dolentibus atq; induratis mammis applicari poterunt, quandoquidem his ipſis, & Lactis coagulati ſolutio citius procurabitur, & nondum corrupti ſuppuratio impedietur, aut jam corrupti ſuppuratio & maturatio promovebitur. Erunt autem inter emollientia lil. albor. bulbi, rad. althææ, malvæ, violariæ, brancæ urſinæ, mercurialis, ut & earum folia, farina fabar. alth. orobi, lini, hordei, fœnugr. ol. lil. alb. amygd. dulc. roſar. violar. malvæ, chamæm. mucilag. ſem. pſillii, lini, fœnugr. cum aqu. roſar. extract. fl. chamæm. roſar. ſambuc. axungia ſuilla, pinguedo humana, anſeris, gallinarum, vituli, butyrum, caricæ pingues, unguent. altheæ ſimpl. & compoſ. empl. de mucilag. & ſimilia in vulgus nota, & apud chirurgiæ ſcriptores paſſim commendata. Convenient prætereà Venæſectiones, purgationes, & ſudoris provocationes, ſicq; quicquid Lactis coagulati reſtitui poteſt, reſtituetur, quod verò reſtitutionem negat, citius atq; facilius ad ſuppurationem perducetur, omnia ſymptomata remittent, dolor, tumor, & ardor brevi minuetur, ipſa ſuppuratio citius abſolvetur, poſt factam ſponte vel arte apertionem minus puris prodibit, ipſumq; ulcus, ſi rectè tractetur, citius atq; certius mundabitur & conſolidabitur. Frigida autem quæ nonnulli Practici applicare jubent, propter fidem ſuſpectam omninò ipſis relinquo, rationes & experientiam propter quæ Sylvius in

hoc

hoc caſu repellentia in totum damnat, conſideratione dignas eſſe perſuaſus.

XVIII. Nunc autem, quamprimùm Lac in pus mutatum fuerit, quod arguet doloris, duritiei, & ardoris imminutio, apoſtema ſpontè & per ſe rumpetur & aperietur, quod niſi fiat, lanceolâ mox idem aperiendum. Barbette quidem in Anat. Pract. corroſivo potius quàm phlebotomo omnem ſuppurati tumoris apertionem ſuadet, ſed neſcio quàm ob cauſam, cum noſtra via & brevior ſit & tutior: In eo quidem cum ipſo ſentimus, quando in loco profundiore abditum eſt pus, nec penetratio cutis à pure ſatis citò expectari poteſt, ad cauterium potentiale confugiendum eſſe, ne longiori morâ partes vicinæ à pure magis magisq; corrumpantur.

XIX. Quandoquidem autem delicatiores mulierculæ, apertionem per ferrum inſtituendam, perferre nolunt, vel non audent, cutis rarefactio & penetratio valdè emollientibus promovenda erit, quem in finem apprimè conducet unguentum baſilicon, populeon, reſumptivum, anodynum, ol. amygd. dulc. chamæm. irinum, lil. alb. lini, de vitell. ovor. de croco; inter evporiſta loco omnium meritò laudatur ficus aſſa, tumori impoſita, quæ eum inſigniter maturat & aperit.

XX. Aperturæ quovis modo factæ (quam puris effluxus indicabit) turundam intrudere oportet, & hujus ope ad curationis usq; finem indere Balſamum ſulphuris vulgarem, terebinthinatum, aniſatum, ſuccinatum, aliumve; ſuper turundam autem imponi poterit empl. diapalma, diaſulphuris Rulandi, diachalcitheos, Noribergenſe, vulnerarium Zwölfferi, vel aliud conveniens, & quamdiu durities moleſta in mammis permanſerit, eas fovere decet cataplasmate conveniente, diſcutiente ac reſolvente, qualia egregia ſatis deſcripſit Barbette in *Chirurg. Pract lib. 3. cap. 1. p. m. 124. & ſeq.* & talis cataplasmatis uſus tamdiu continuandus eſt, donec durities iſta remiſerit, quâ tandem ſublatâ, ab hujus etiam cataplasmatis uſu deſiſtere licebit, ſufficietq; ſolus balſamus ſulphuris cum emplaſtro quodam ex recenſitis, aut alio conveniente, quale eſt empl. gryſeum, de lap. calamin. diapompholyg. album coctum.

XXI. Sed memorem ordo mihi vellicat non quidem au-

rem verum mentem, ut circumſpiciam, quomodo Lactis motus & effluxus impediatur, ratione viarum, per quas ſolet fluere? Accuſandæ verò hîc ſunt papillæ, & tubuli lactei lac continentes, quod ex ipſis exſugi, expelli & emulgeri ſolet; de papillis inferius dabitur loquendi occaſio, ſed tubulorum vitio tale malum gignitur, quando vel ſtatim in ſuo exortu, vel demùm in progreſſu anguſtati ſunt, & ſæpius quidem per compreſſionem, rarius per obſtructionem, quippe vix ac ne vix quidem continget, ut omnes tubuli ſimul obſtruantur; quod ſi tamen tale quid fiat, erit à Lacte in ipſis coagulato, potiſſimùm per frigus mammas graviter afficiente, atque ipſorum calens Lac coagulante, quod vitium fomenta aromatica, & ſalia volatilia ipſis juncta, frigidus etiam aër vel correctus vel evitatus, cæterarum deniq; cauſarum externarum intermiſſa occaſio feliciter tollent. Sed comprimuntur præter alias cauſas externas ut plurimùm à tumore, vel papillas vel ipſas mammas in locis vicinis occupante, & præcipuè ab inflammatione. Hæc inflammatio cum à ſanguine extra ſua vaſa effuſo, adeoq; ſtagnante, ad corruptionem appropinquante, & partes circumjacentes angente atque anguſtante oriatur, quæ paulò ante in Lactis coagulatione ac ſubſequente inflammatione laudavimus Medicamenta, etiam hîc, præſertim ſub cataplasmatis, quantum licet, formâ adhibita, locum habebunt; præ cæteris autem utile eſt emollientibus adhibendis ſalia volatilia jungere, quæ virtute ſuâ penetrante coagulatum ſanguinem ita diſcutient, ut ſæpius ſuppuratio præcaveatur; ſi tamen nihilominus ſucceſſerit, eadem ſimili modo, quem in eodem tradidimus caſu, ruptumq; apoſtema balſamo ſulphuris aniſato curabitur.

XXII. Læditur ſecundò motus & effluxus Lactis, quando Lac, utut præſens, juſto tamen paucius è mammis effluit. Idq; iterum vel ob ſui, vel ob viarum, vitium. Ob ſui vitium minus rectè effluit, cum præter naturam craſſius & glutinoſum magis eſt, cujus cauſæ & curatio ex antecedentibus hûc transferenda erunt. Nempe (quod hîc notandum) uſurpanda ſtatim veniunt, & quidem in tempore aromatica, ſalina volatilia, & internè & externè, ne ex neglectu hujus morbi malum adaugeatur, & Lactis effluxus in totum impediatur, ſicq; inflammationi & ſuppu-

ſuppurationi anſa detur. Cæterùm non videtur neceſſarium prolixius huic affectui inhærere, nam quæ nuper de motu & effluxu Lactis abolito memoravimus, prudens Medicus eidem imminuto applicare ſciet.

XXIII. Accedo igitur ad Illam læſi lactis effluxus ſpeciem, quando idem elicitur & effluit, ſed difficulter, cum moleſtiâ & dolore; nempe difficulter, quando anguſtæ ſunt ejus viæ, quod naturale vitium vix, aut per emollientia ægrè curabitur: cum moleſtiâ autem & dolore elicitur (1) quando papillæ vel mammæ inflammatæ ſunt. (2) quando eædem papillæ excoriatæ ſunt & exulceratæ, idq; vel ob infantum ſugentium os, h. e. labia, gingivas, palatum & linguam, ardore, puſtulis, aphthis, aliisq; malè affecta, vel ob eryſipelatis quandam ſpeciem ipſas corripientem, vel deniq; ob ipſum lac ſpontè ac continuò effluens, & poſtquam illud acrimoniam adeptum eſt, papillas & mammas excorians (3) quando fiſſæ ſunt, vel aliter malè affectæ & dolentes.

XXIV. Quibus ex cauſis papillæ inflammentur, & quomodo iis medela adferri queat, nuper abundè (uti credimus) demonſtratum. Quando verò papillæ excoriantur & exulcerantur ab ore infantum malè affecto, ad duplicem ſcopum cura dirigi debet: (1) ut affectus infantem urgens tollatur. (2) ut papillæ excoriatæ & exulceratæ priſtino ſtatui reſtituantur; de priori pluribus differendi ratio nunc non fert, cùm de Lactatione læſâ reſpectu fœminarum & matrum hîc mihi tantùm ſermo ſit, poterunt tamen de his Practicorum Libri paſſim conſuli. Attamen ſedulò notandum, ſi papillis læſis ſuccurrere animus eſt, affectum prius, os ac ſalivam infantis corrumpentem, curandum eſſe, cum aliàs lateres aut Æthiopem lavaremus: Poſthæc demùm excoriatas aut exulceratas papillas aggredi licebit, cumq; excoriatio papillarum earum etiam æſtum utplurimùm mali complicem habeat, eundem temperantia, cum blandis exſiccantibus, apprimè convenient, idque præſtabunt herba endiviæ, lactucæ, nympheæ, plantag. tarax. fl. fabar. malv. violar. roſar. endiv. nymph. papav. rhead. ſem. 4. frig. maj. & min. hyoſciami, lini, papav. portulac. bolus armena, terra ſigillata, C. C. uſtum, ceruſſa, lithargyrium, marcaſita, corallium,

 ſaccha-

saccharum saturni, & ex his parata cum albumine ovi cataplasmata, quò etiam faciunt succus papav. sperma ranar. unguent. liquirit, lac omnis generis, ejusq; serum ac cremor, qui cum cretâ in pollinem redactâ mixtus, potenter temperabit & exsiccabit, aqu. rosl. plantag. endiv. Lactuc. nympheæ, solani, tarax. mucilag. sem. cydon. psillii, lini, fœnugr. gummi tragacanth. cum talibus aquis extractum, & alia: Circa quæ tamen hoc observatu necessarium est, ut ea moderatè, nec nimium adhibeantur, ne dum unum malum curare intendimus, aliud æquè grave producamus. In exulceratis autem papillis, quem anteà in mammarum ulceribus laudavimus balsamum sulphuris quemvis, etiam hîc è re esse credimus, ubi tamen in id incumbendum, ut propter sugentem infantem gratissimus eligatur, qualis anisatus est, cum quo ratione virtutis paria faciet, Balsamus Hispanicus, de copayva & Peruvianus. Ubi erysipelate tentantur papillæ, juvabit aqua calcis vivæ cum saccharo saturni, aut si Luis venereæ suspicio adfuerit, cum Mercurio dulci decocta; inter evporista usu probatiora habetur flos lactis cum cretâ mixtus, (qui etiam cum superiori decocto papillarum exulcerationibus & excoriationibus medetur) aqua, flores, rob, & cortex sambuci medius, farina siliginea, empl. de sperm. ranar. &c. Sed & sudorifera internè exhibita, in hoc casu reliquis fermè palmam præripiunt Medicamentis, & blanda quidem, præsertim ubi etiam febricula quædam concurrerit.

XXV. Interdum lac spontè & continuò fermè effluit, tandemq; ubi aliquandiu extravasatum substiterit, acrimoniam contrahit, quâ & papillas & mammas, vicinasq; partes rodit & excoriat, cui medelam afferent medicamenta lenitiva & exsiccantia, ut lixivium calcis vivæ, pulvis & unguent. liquirit. ol. de vitell. ovor. sacch. saturni, marcasita, varia magisteria, & alia; poterunt item applicari mammis vasa vel vitrea, vel ferrea stanno obducta, quæ quidem eas non arctè adeò premant, interim tamen papillas excipiant, & in inferiori loco Lac colligant.

XXVI. Finduntur non rarò, licet cætera sanæ papillæ, quando â sugentis gingivis constringuntur, mordenturve ab ejus dentibus, quod malum adaugetur, si alio quodam vitio, ac

præ-

præcipuè inflammatione afflictæ fuerint. Ubi statim in id incumbendum, ut inflammatio, ulcera, pustulæ, & quæ sunt alia ipsis inhærentia curentur ac tollantur; Supervacaneum verò credo futurum, prolixiorem talium curam exponere, cùm hæc ex antecedentibus maximam partem desumi possit. Posthæc fissuras consolidare licebit, & quidem quò citius, eò melius, cui scopo inserviet balf. hypericon. de peru, sulphuris quivis, de Tolu, ol. ceræ ritè paratum &c.

XXVII. Reliquas inter motus & effluxus Lactis læsi species IVta est, quando idem sponte & sine omni suctu effluit, quia vel copiosum nimis, vel fluidius justo est, vel quando valvulæ tubulis appositæ laxiores aut erosæ sunt. Quomodo copiosum nimis Lac, ponderis ac distensionis sensu fœminas urgens, imminuendum sit, supra jam docuimus, pariterq; quâ ratione fluiditas ejus corrigi possit; Laxitas autem valvularum vix ac ne vix quidem sui emendationem admittet, adeò, ut experientissimus aliàs Sylvius fateatur, se hunc casum nunquam vel vidisse vel audivisse curatum, nec se illum juvando ullum proponendum habere remedium, nisi medicamenta blandè aromatica & subadstringentia forinsecus applicata, aliquid saltem præstare possint, si non multum juvent; erosæ autem infeliciorem adhuc de se spondent prognosin, & vel minimam sui restitutionem recusant.

XXVIII. Quæ Vtò notatur species motum & effluxum Lactis lædens, est, quando idem sponte & sine omni suctu effluit per vias inconvenientes, nempe ulcera & apostemata in papillis aus ipsis mammis facta, quod potissimum fit in mammarum inflammationibus & suppuratione profundâ; sive ergò spontè sive arte apostematis apertio fiat, utplurimùm tamen accidit, aut ratione ulceris grandioris, aut lanceolæ penitius intrusæ, ut tubuli quidam Lactiferi simul lædantur, quippe omnia apostemata, quæ in loco profundiore latent, nec spontè aperiuntur, nec arte, nisi cum partium plurium læsione; nam quando talia profundius hærent, omninò segnius etiam ad corporis superficiem sibi viam parant, quo intereà temporis & partes vicinas, & vasa subinde erodunt; quod si autem arte aperiantur, cum lanceolam penitius intrudere chirurgum oporteat, facilè ductus

quos-

quosdam Lactiferos diſſecando, Lactis effluxus per viam indecentem inferri poteſt. Quodſi ergò ulcerum vel apoſtematum in mammis ſuſpicio adfuerit, ſtudere debet medicus ac prævenire (1) ut apoſtemata minima producantur. (2) ut quantocyus ad ſuppurationem (ſi ea præcaveri nequit) perducantur inflammationes. (3) ut ſuppurationes omnes ad externas partes, corporisq; ſuperficiem, quantum poſſibile eſt, trahantur; Sic namq; multiplices noxæ apoſtemata comitantes aut ſubſequentes tollentur, & ex minore ſpatio, quod apoſtema occupat, pauciores partes damnum patientur, & partium vicinarum cum vaſis corruptio & eroſio præcavebitur. Aſt ſi præter ſpem tubuli Lactiferi ſauciati fuerint, & locum habeat curatio, disciſſa vel eroſa vaſa novâ carne muniri atq; oppleri debent, ut lacti naturalis motus denuò concilietur, nî vaſa inter conſolidandum penitus obturentur aut coaleſcant. Certum tamen, difficulter & ſegnius conſolidari ac carne concludi ductus & vaſa, lac continuò evomentia, quia ſegnius mundantur & carne implentur ulcera ex apoſtemate cava remanentia.

XXIX. Progredior ad VItam ſpeciem motus & effluxus Lactis læſi, quando idem effluit cum Lactantis debilitate, quod fit propter nimiam Lactis producti copiam, quamvis non ſemper, cùm etiam debilitatis hujus cauſa ſæpe pendeat vel à peculiari fœminæ conſtitutione, quæ nullam vel minimam Lactis jacturam absq; notabili virium dejectione perferre valet; vel à lacte ſpiritibus nimis largiter impręgnato atq; fœto, unde licet ejus parùm tantùm eliciatur, vires tamen ob tale diſpendium inſigniter dejiciuntur ; vel etiam ob accedentem inſignem mammarum dolorem, quæ omnia virium notabilem dejectionem, animi deliquio maximè affinem, inferunt.

XXX. Jam cùm per nimiam Lactis productionem & eductionem ſanguis indies minuatur, corpus marceſcat, vires hebetentur & deficiant, tandemq; notabilis languor & animi deliquium, fœminas quotiescunq; lactant, corripiant; productionem illam minuere conveniet, alimentis præprimis ſucci craſſioris, & difficilioris fermentationis, remediis item fermentum lactificum aliquatenus obtundentibus, ſæpius monſtratis, quin & adſtringentibus & ſanguinem aliquatenus craſſiorem efficientibus,

bus, ut ſunt plantago, ſanguiſorba, tormentilla, burſa paſtor. myrtus, quinquefol. aloë, maſtiche, ſangu. Dracon. ſuccinum, Lap. hæmatit. creta, C. C. uſtum, bolus armena, terra ſigillat. ceruſſ. corall. ebur foſſ. margarit. Lap. pretioſi, Lap. Medicamentoſus, Troch. de berber. charabe, corall. ſpod. & alia, quæ acidum volatile, à quo ſanguinem in Lac mutari diximus, blandè infringunt & abſorbent; hûc etiam quadrant acida quædam, dummodo ea omnia quantitate parvâ & circumſpectè adhibeantur. Externa adſtringentia vix locum habebunt, propter metum, ne Lac in mammis coaguletur, & inflammationem pariat. Quòd ſi remediis his malum non cedat, ut Lactis proventus viriumq; languor inhibeatur, & mater ab interitu ſervetur, ceſſandum ab ulteriori Lactatione, & infans alieno vel Lacte vel liquore alendus: Id quod etiam eas fœminas facere oportebit, quæ propter peculiarem ſui conſtitutionem, vel Lac nimis ſpirituoſum, in animi deliquium ex eo emiſſo, incidunt.

XXXI. Mammarum autem dolor, vehementiâ ſuâ Lactantibus animi deliquium ſæpè pariens, genitorem agnoſcere videtur ductuum Lactiferorum nimis brevium, & valdè ſenſilium, crebriorem tractationem & extenſionem ſuctu factam, ſiquidem tubuli iſti, quoties præter morem breviores ſunt, aut partibus vicinis intricati vel implexi, toties dum ſuctus fit, valdè extenduntur, jam verò quia hi membranoſi, & omnes partes membranoſæ valdè ſenſiles ſunt, nec ſui magnam extenſionem perferre poſſunt, dolor inde moleſtus excitatur atq; exquiſitus, animi tandem deliquium inducens. Pro quo leniendo & curando, inſerviet frictio, manu molli ſæpius reiteranda, præteteaq; illitio oleorum lenientium & emollientium, lil. alb. puta, amygd. dulc. irini, hyperic. lumbric. terreſtr. verbaſci, populinum, & ſimilium, quæ tandem ductuum dictorum extenſionem procurabunt. Hisq; omnibus nil proficientibus, itidem à Lactatione ceſſandum erit.

XXXII. Ultimò tandem motus & effluxus Lactis lædi poteſt, quando ejus loco vel ſanguis, vel pus, vel ſanies, aliusve humor, aut heterogeneum corpus effluit, excernitur, exſugiturve per papillas. Fluit autem Lactis loco merus ſanguis, quando (1) in mammarum glandulis non mutatur in Lac. (2) quando

avidè nimium & copiosè exſugitur, adeò ut ob temporis penuriam ejus materia ex ſanguine ſecerni, & Lac tàm citò conſtituere nequeat. (3) Quando vel ſuctu vehementi, vel ex vulnere, vel abſceſſu læduntur vaſa ſanguifera; quas quidem cauſas in antecedentibus jamdum attigimus, unde hîc tantùm monenus, pro earum ſublatione vel raram, vel nullam prorſus lactationem inſtituendam eſſe, dum intereà ut in omni, ſic & in tali, quovis demùm modo ille fiat, ſanguinis effluxu, loco ceterorum maximè prodeſſe ſanguinem Draconis, notârunt Practici. Præterea verò pus vel ſanies loco lactis interdum prodit ex apoſtemate ad papillarum tubulos pertingente, quale quidem, ſi apoſtema non adeò grande ſit, commodè exſugetur nutricis ope, nec tamen negligenda ſunt fomenta & decocta vulneraria, forinſecus & intrinſecus uſurpata, præprimis addito ſpiritu vini penetrantia facta, quibus mundatio & conſolidatio ulceris promoveatur, quod etiam præſtabit commendatus anteà balſamus ſulphuris. Aſt ſuperficiei proximum apoſtema in loco declivi ac molliori commodiſſimè aperietur, adhibitis dein ſuprà laudatis mundificantibus & conſolidantibus.

SECTIO IV.

De Lactatione læsâ.

TH. *I.*

HActenus de Lactis generatione, motu & effluxu læſo, egi, quæ pro diverſo ſui reſpectu Lactationem lædere poſſunt: nunc ipſe Lactationis actus pauciſſimis conſiderandus, atq; ſermo de eo habendus erit. Eſt itaq;, ceu in Sect. I. dictum, Lactatio ritè ſe habens, Lactis in mulierum mammis producti allectio per papillas, ope ſuctus & preſſionis à ſugente factæ.

II. Nimirum ad perficiendam eam requiruntur quædam in fœminâ Lactante, quædam in ſugente.

III. Sugentis requiſita recenſere, tùm talia vitiata examinare, mei nunc non eſt inſtituti; cùm Lactationem reſpectu nutricum tantùm, proponere animus ferat.

IV. Ad hanc ergò commodè abſolvendam pertinent (1) papillæ

pillæ & craſſitie, & longitudine mediocres, non prægrandes, nec nimis exiles, nec breves. 2. Eædem integræ à dolore immunes, non fiſſæ, inflammatæ, exulceratæ, excoriatæ. 3. Tubuli Lactei quoad meatus ritè conformati, & per papillas pervii. 4. Lac debito modo generatum. 5. Affluxus ejus & effluxus nec copioſior, nec parcior.

V. Jam verò ex uno alterove, aut omnibus his læſis oritur Lactatio læſa, eaq; tripliciter. (1) Quando in totum impedita eſt, & nulla fit. (2) Quando inſufficiens. (3) Quando abundantior contingit.

VI. Nulla fit primùm, vel culpâ Lactis, quando idem coagulatum, ad motum & effluxum ineptum eſt; vel partium ad lactandum deſideratarum. Quomodo coagulatum Lac diſſolvendum ſit, ex hactenus dictis haurire licebit. Per partes autem ad Lactationem neceſſarias, intelligo papillas, & vaſa ipſum Lac ad mammas deferentia: Vaſa ſanguini deferendo inepta, aut deficientia, propriè loquendo, accuratè hùc non referenda videntur, quippe tunc non deficit Lactis eductio, ſed Lactis productio, non entis ergò nulla erunt accidentia.

VII. Papillæ autem vel deſunt in totum, vel ſaltem deeſſe videntur: à primo ſtatim ortu abſentes, aut demùm morſu infantili amputatas reſarcire, humanæ non eſt artis opus. Interdum tamen in quibusdam fœminis deeſſe videntur, aliis ante imprægnationem & partum, aliis poſt partum quoq;, imò inſtitutam etiam antehâc Lactationem, quando ſc. nimium retractæ ſunt, & latent in mammis. Has ergò, niſi poſt partum ſpontè emergant, artificiosè decebit elicere, & quantùm fieri poteſt commodas efformare, vel blando ſaltem affrictu, aut ſuctu, vel impoſitione pileorum cereorum, eburneorum, argenteorum, aliorumve, aut ſi vehementiorem caſus poſtulet operationem, papillæ pars aliqua vi extrahatur, & in ambitum circumligetur. Hâcq; ratione breviores etiam prolongari queunt: ſed craſſitie aut longitudine prægrandes nimis, quia curationem omnem reſpuunt, intactas relinquere oportebit. Reliqua papillarum pathemata, cum annexâ curatione ſuprà commodius exhibuimus. Sed vaſa reliqua, Lac per papillas ad mammas deferentia, Lactationem abolent, quando vel deficiunt, (quod ta-

men rarissimè contingere posse credo) vel compressa, vel obstructa sunt; comprimi solent à tumoribus in ipsorum viciniâ subsistentibus, inprimis autem à lacte vel sanguine extravasato, coagulato, & inflammationem pariente; à quo ipso Lacte coagulato etiam non rarò obstruuntur, quibus tamen malis ex Thesibus superioribus occurrere licebit.

VIII. Insufficiens deinde fit Lactatio, iterum vel Lactis, vel tubulorum Lacteorum culpâ, quando nempe vel Lactis aliquà pars coagulata, vel ductuum quidam nimis angusti, aut compressi, aut obstructi sunt. Sed quid his insistam, quæ Lactatio abolita respectivè declarat?

IX. Accedo igitur ad Illam læsæ Lactationis speciem, quando ea abundantior quàm par est, contingit, idq; similiter vel Lactis, vel partium in lactante ad lactandum requisitarum culpâ. Quapropter Lac hîc tàm in quantitate excedet, & redundabit, quàm etiam in qualitate, & nimis fluidum existet, quo de imminuendo & incrassando jamdum egimus Reliquæ partes peccantes erunt potissimùm tubuli patentiores & ampliores, atq; valvulæ ductus mammarios à papillaribus distinguentes, laxiores. His ergò ut opem ferat medicus, nî modò malum sit incurabile, medicamenta blandè adstringentia, formâ tùm humidâ, tùm siccâ mammis forinsecus, maximè verò circa papillas applicabit; ita poterit fomentum vel cataplasma parari ex radicibus, foliis, & floribus blandè adstringentibus, in aquâ ferratâ, vel vino rubro decoctis, & calidè applicatis, aut poterunt talia sacculis includi, calideq; mammis imponi. Et recensitis potissimùm modis Lactatio læditur, læsaq; curatur. Placet autem his alium fœminarum morbum ex Lacte oriundum, annectere, quem exhibebit sequens

SECTIO V.

De Febre Puerperarum Lacteâ.

TH. *I.*

DEscribitur hæc, quod sit ebullitio sanguinis, plerumq; circa tertium aut quartum à puerperio diem fœminas invadens,

dens, à chylo, propter præpeditas excretionis vias, in maſſam ſanguineam reſtagnante, oborta.

II. Cauſa effervescentiæ hujus febrilis videtur eſſe chylus lactescens, circa uterum ſecerni ſolitus, qui à puerperio in iſtâ excretionis viâ impeditus, in ſanguinis maſſam reſtagnat, atque utero relicto ad mammas transfertur; cum itaq; magna chyli hujus lacteſcentis portio in maſſa cruoris ſubſiſtat, & debitum ſucci nutricii penum excedat, atq; adeò tota aſſimilari nequeat, inſuper etiam partibus heterogeneis ſcateat, velut extraneum quoddam, & non miſcibile ſanguini moleſtiam creat, proq; ipſo eliminando, & foràs excernendo, effervescentia febrilis triduana impenditur.

III. Signa diagnoſtica affectus hujus ſunt, quod puerperæ, (licet non omnes, pleræq; tamen) intemperie febrili, cum ſiti, calore, & inquietudine totius corporis affligantur, conquerantur etiam de dolore gravativo in dorſo & ſcapulis, de mammarum plenitudine & æſtu.

IV. Prognoſin quod attinet, rarius hæc febris ad mortem terminatur, niſi vel lochia ſiſtantur, vel errata in victu admittantur, aut cauſæ quædam evidentes aliæ acceſſerint, ut ſanguinis effervescentia intendatur, & febris lactea, pejora advocans ſymptomata, in putridam, ſeu malignam abeat. Si verò ad ſalutem illa terminetur, vix ultrà triduum perdurabit, dummodò lochiorum fluxus ſeſe legitimè habeat; intenditur tamen interdum atq; diutius perſeverat, ſi quando Lac ubertim mammas ingreſſum non emulgeatur, aut ſi topicis repellentibus violenter abigatur. Modum eventus tandem quod attinet, dummodò lochia rectè fluxerint, ſine ope medicâ, poſt effervescentiam ſanguinis intrà tres vel quatuor dies peractam, aut ſudor copioſus, aut tranſpiratio liberior hunc affectum ſolvit, quandoquidem hujus ope, aut particulæ humoris Lactei inter aſſimilandum degeneres, aut recrementa aduſta, à ſanguinis deflagratione reſidua, eliminantur & in auras abeunt; interdum, ſi per fortiora repellentia ex uberibus propulſum fuerit, aut ſponte abſceſſerit Lac, cum lochiis ſub humoris albicantis formâ excernitur, & ſudor, aut largior diaphoreſis morbi reliquias evaporare facit.


V. Ut adeò ope Medicâ non hîc opus ſit : Quòd ſi tamen Lac copiosè nimis in mammas ruat, ut earum inflammatio, & ſanguinis immodica efferveſcentia antevertatur, imperare potiſſimùm decet victum tenuiorem & parciorem, ut & in minori quantitate aſſumendum; ubera etiam ſuctu crebriori depleantur. Si mater infantem lactare noluerit, tertio à puerperio die, in uſu habetur ceratis modicè adſtringentibus mammas obtegere, pro conſtringendâ aliquatenus ſpongiosâ glandularum ſubſtantiâ; quibuscum tamen cautè agendum, ne per fortiores conſtrictiones, Lac ſubitò reſtagnet, & majora mala, imò febrem putridam vel malignam, inferat.

TANTUM.

SOLI DEO GLORIA.



COROL-



COROLLARIA.

I.

PRæſtat materno, ſi licet, infantem lactare lacte, quàm alieno nutricum.

II.

Hæcq́ Lactatio, pro circumſtantiarum ratione, ab anno ad biennium usq́ continuari poteſt.

III.

Tempus ablactationis autem conſtituitur utplurimùm, quando Luna in incremento eſt, & anni tempus nec caloris æſtu, nec frigoris rigore, excedit. Quæ porrò circà ablactationem obſervanda veniant, docet Joh. Georg. Sommer Tract. Weiber und Kinder Pflegbüchlein/ cap. 8.

IV.

Quanquam certis de cauſis, & materni, & nutricum Lactis uſus, recens natis interdici jure poßit.

V.

Et ſubſtitui Decoctum C. C. fœniculi, aliusve liquor cum convenientibus permixtus.

VI. *Si*

VI.

Si casus necessitatis pro lactando infante nutricem postulet, in seligendâ eâ potissimum attendi debent: Ætas, corporis conformatio, mores, Lac, mammarum ac papillarum constitutio, tempus novissimi partus, sexus & natura infantis eodem partu editi, ne gravida, cætera verò, quantùm possibile, sana sit. Quæ prolixiùs explicat Joh. Nicol. Pfizer von der Weiber Natur Lib. I. Part. IV. c. 16. & Joh. Georg. Sommer Tract. Weiber und Kinder Pflegbüchlein cap. 3.

VII.

Virgines in statu concipere nequeunt.

